

sunt actus & vocabula relativa. Relatio autem omnis inter plura. Sic homo distinctum aliquid intuendo (puta vel objectum, externum vel cogitationes saltem suas) intelligit: distinctum aliquid appetendo gaudet, in distincto quiescit, nec seipsum diligit, nisi mediante distincto quod sibi uniri velit &c. Intelligere verò, diligere, gaudere competit Deo ab eterno. Fuit igitur ab eterno aliqua in Deo pluralitas, fuit character et quasi speculum substantiæ patris, quo contemplando se ipsum perfectissimè intelligeret. Habuit vera unionem & distinctionem, in quo perfectissimè sibi placeret, & in quo voluntate sua ineffabili, consensu et letitia acquiesceret. Fuit igitur & productio, quæ est pluralitatis omnis fundamentum. Sicut autem intellectio & dilectio Dei est perfectissima et infinita, ita & imaginem, in qua velut in speculo se ipsum intuetur, perfectissimam et infinitam esse necesse est &c.

3. Ex eodem axioma Clariss. Bernard. à Mallinckrott de natura & usu Literarum cap. 23. de Accentu agens ita ratiocinatur: De monosyllabis sciendum est, licet Grecis in more positum sit, nulli non vocabulo, quamvis vel ex unica constanti litera accentum superpingere, quod tamen unisyllaba